

ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

n. PGB 637

Jisewjn

28 ottobre 1960

J. IJsewijn
Ploegstraat 10
ANTWERPEN
(BELGIUM)

(Arch. Somaška)

28.X.60

Reverende admodum Pater!


Ignoscas mihi, quaeso, quod post libellum tuum de "Vergilio poesis hodiernae patre" acceptum tibi nondum rescripseram. At ne tantum quidem otii mihi supererat ut commentationem debita cura legerem! Haec etiam epistula raptim scripta est: Lovanii enim primi philologiae classicae anni praelectionibus centum et duo studiosi adsunt, secundi autem anni quadraginta quattuor. Quorum omnium pensa latina singulis hebdomadibus emendare debeo. Accedit quod studiosos illos morphologiam et casuum syntaxin latinam doceo, iisdem Minucium Felicem explico, singulis tandem opusculum philologum perficiendum imposui. Multae praeterea ad me litterae perferuntur de poetis neolatinis nec hisce de causis studia hellenistica neglegere aut mariti patrisque officio deesse possum.... Luctor ut emergam!

Quod tantos labores mihi suscepisti ut quis esset Aemilius Merone scirem, maximopere tibi gratias ago. Paucis autem diebus ante ille ipse poeta, a Bernardo Riposati monitus, litteras et opuscula mihi misit. Habitat Piazza Ferrovia, S. Anastasia (Nanoli). Mea quidem sententia maximus et egregius poeta videtur, etsi non semper leges metricas Antiquorum observat. Sermo etiam nostrum tempus valde sapit. Quodsi igitur latinitatem et artem metricam eius improbare potest, arte tamen poetica excellit. Attamen me non latet in Italia poetas, qui Antiquorum exempla non imitantur, non laudari, immo vero vituperari nec poetae nomine dignos haberi. Quam consuetudinem nec intellego nec probo: etenim, cum poetis vernaculis maxima inveniendi libertas concedatur, latinis extra fines Antiquorum satis angustos progredi prohibetur! Si litteras latinas vitare volumus, non tantum formae ausedam religiose, ut ita dicam, excolandae sunt, verum etiam novae excitandae et fovendae. At haec lis est vetus inter Cisalpinos et Transalpinos!

Nescio num tibi iam scripserim novos in Italia commentarios Latinos hoc anno conditos esse: inscribuntur Latina Lingua iisque moderator praest R. P. Nicolaus Lusito. Domicilium hoc est: Basilica di S. Francesco, PAOLA-Santuario (Cosenza).

Vale et bonum animum semper serva!

Scrinsi Antverniae, a. d. IV Kal. Nov. MCM LX



Nuper plagulas "Conspectus poetarum latinorum saeculi XX" correxi.
Quo conspectu etiam nomen tuum illustrasse ac perpetuare spero!